Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich).

Quelle:
Copyright:

Et sanctus Ignacius verus martir dei
Johannis discipulus filii Zebedei
Et johannes Damascenus qui philosophiam
Omnem suam renovavit divinam in usiam
De maria virgine quedam conscripserunt
Que nobis in autenticis scriptis relinquerunt
Retorentes breviter vitam singularis
Virginis et genitricis regis eternalis
Descripserunt universe vite sue statum
Corporis et anime decus et ornatum
Latinum in eloquium nuper hic translata
Reperi sed nondum adhuc scriptis propalata
Ad laudem ergo virginis dulcissime marie
Et Jesu dilectissimi prolis sue pie
Illa mundo propalando scribere decrevi
Stilo licet rustico sermone tamen brevi
Ut ipsa cum filio mei misereri
Dignetur et a demonum laqueis tueri
Et Jesus benignissimus matris ob honorem
Convertere me miserum dignetur peccatorem
Sed ex evangeliis plurima collegi
Que convertens in unum opusculum collegi
Sanctus Dyonisius ariopagita
De marie transitu scripsit ex hac vita
Et sanctus Juvenalis episcopus byzanti
Cosmas et Theophilus diversi quoque sancti
Ac doctores alij de virgine scribentes
Plurimq; fideliter exponunt nos docentes
Que pro laude virginis marie compilavi
Et per donum spiritus sancti consumavi
Si quis ut apocrifum velit reprobare
Caveat ne veritatem presumat condempnare
Et in locis singulis ponendi sunt auctores
Qui sunt hujus carminis verissimi doctores
Si qua tamen hic fortasis apocrifa ponantur
Non idcirco per prudentes ut falsa condempnantur
Illud autem deprecor a viris literatis
Hi si qua repererint que limen veritatis